

oblata prius cautione, pecus, vel aliam rem sibi concedi postulet, in eo illud, quod ante constitutum est, observabitur, scilicet ut petenti res furtiva sub præstita cautione concedatur.

EXEGESIS.

Duo sunt hujus Articuli membre. I. Prius agit de re furtiva domino suo absque refusione sumtuum restituenda. Circa quod membrum tria sunt notanda: (1) Tempus restituendi rem ablatam furto; Nempe tum restituenda est ejusmodi res suo domino, quando (a) sub jurisdictione istius judicis penes aliquem deprehenditur, & (β) Dominus illam vindicans dominium istius probaverit. Alioquin nisi hæc probatio prius exigeretur, facile quis se dominum istius rei venditaret, eamque sub prætextu dominii auferret, cum primis in casu dubio, ubi verus dominus ignoraretur.

(2) Factum restituendi absque refusione pretii. Emtor enim rei furtivæ, si ve bonæ fidei fuerit, si ve non, rei vindicatione conventus rem furtivam etiam non recepto pretio tenetur domino suo restituere. *l. 3 & l. 23. C. de R. V.* Et ait Imperator: Rem incivilem esse, agnitas res furtivas non prius reddi, quam pretium fuerit solutum à domino. *l. 2. C. de Furt.* Et ibi Brunneman, *f. 660.* nisi fortean possessor eam à latronibus emerit, cujus ratio est, quod dominus difficulter eam potuisset recuperare. *per l. 6. ff. de Captiv. & postlim. revers.* Deinde nisi pretium pro re furtiva solutum in utilitatem domini fuisset conversum, Sichard. *ad l. 2. C. de furt. num. 2. f. 670.* Alias possessor rei furtivæ tenetur illam domino vindicanti restituere, licet ab eo pretium non recipiat, etiam si in nundinis publicis talem rem quis emat. Brunnem. *d. l.* Proinde statutum, quod contrarium disponit, habetur pro invalido. Menoch. *l. 5. præf. 29. n. 11. cum seqq. f. 699.* Unde mala est consuetudo, quâ nonnullis in locis conceditur Judæis facultas mutuandi pecuniam sub usuris etiam super rebus furtivis, nec illas reddere dominis cogantur, nisi iisdem restituta prius sorte integra cum usuris. Cujusmodi consuetudo est irrationabilis, & si quæ statuta ea de re extant, illa sunt invalida. Sichard. *ad l. 2. C. num. 2. de Furt. f. 670.* Vide Roland. à Valle *Vol. 1. Conf. 45. per tot. f. 189.* Et in terminis de hoc casu loquitur Menoch, *l. 5. præf. 29. n. 35. f. 701. de Præsumt.*

(3) Ex-